

05

A

2356



DISSERTATIO ETHICA
De
SUMMO BONO,

Quam
Adjuvante omnis Boni Datore

In Illustri ad Albim Athenaeo

SUB
PRÆSIDIO

Viri Clarissimi atq; Excellentissimi

WILHELMI NIGRINI

Philosophiæ Practicæ in Acad. VVitteb. Pro-
fess. Publ. celebratissimi, Præceptoris ac Promotoris
sui ætatem colendi.

*placida disquisitioni toti sobriè Philosophantium
choro subjicit*


JOHANNES FRIDERICUS MARTINI

Witteberg. Saxo.

Ad diem XIX. Februar.

In Auditorio Collegij Veteris

horis à 7. matutinis.



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI,
ANNO MDC. XXXV.

DESSERTATVS ET
SILVANO BONO
Adjvnto omnibus Bonis



05 A 2356

WILHELM
Historia
Johannes Friedrichs Martini
SILVANO BONO
ADJVNTO OMNIBVS BONIS





בְּאֵלֵינוּ

Προόμιον.

Imortales merito inexhaustis. Misericordia
Divina agimus gratias, quod hominibus semi-
naria quaedam & aptitudinem ad virtutum
aliquando perfectiorem acquisitionem conces-
serit: id enim nisi esset, quid quæso homo à bru-
tis distaret? Beneficio enim illarum à brutis &
diabolis sejungimur, & pralucete verà fide cum Deo & Angelis
conjungimur; quapropter in frequens virtutum exercitium,
cum sint maximum hominis ornamentum & imaginis Divinae
vestigia, totà mente, omniq; animi impetu est incumbendum.

Cum verò, ut patet, in naturà lateat aptitudo tantum qua-
dam, ad virtutes aliquando perfectius acquirendas, ut tribus ac-
quirantur modis necesse est: μάθησις, ἐπισημῶν καὶ ἀσκήσις; siqui-
dem quaecunq; humanà industrià acquiruntur, vel doctrinà
& institutione, vel more & assuefactione, vel deniq; usu
& exercitatione acquiruntur. Nunc, quia homo virtutem
exercet, per quendam horum modorum hoc exercitium potitum
esse, vel cæco constare potest. Certum autem est, virtutes Mo-
rales comparari more & assuefactione: non rejectis tamen reli-
quis duobus requisitis, nam ad eas doctrinam quoq; & exercitatio-
nem concurrere, facile nemo sanus negabit: imò usum & exerci-
tationem cum intellectuales tum morales virtutes conserva-
re, ex Arist: l. 2. Nicom: c. 1. intelligi potest.

Non igitur facere possumus cum ijs, qui huic veritati tam
A 2 manifeste

manifesta contradicentes, Virtutes naturā nobis inesse asseverant. Quem tamen scrupulum ipsa natura illis per facile adimere potuisset; quae enim naturā insunt, quis quæso immutationem illorum assuefactione susciperet? Virtutibus verò & assuescere & desuescere homines, luce meridianā clarius apparet.

Videmus præterea, eorum, quae naturā insunt, potentias & instrumenta prius adesse, quam functiones & operationes: id quod ex sensibus patet; prius enim inest potentia & instrumentum videndi, quam ipsum è videre. In virtutibus autem diverso modo se res habet. Adde, quod naturalia non corrumpantur per suorum efficientia; Natura enim semper eodem modo agit, causarumque naturalium semper unus & idem est effectus: Virtutes verò ab iisdem actionibus, qualitate tantum differentibus, suam & originem & corruptionem sortiuntur. Nullus denique liberalis, justus, aut alio quodam Virtutis habitu præditus nascitur. Ergo naturā nobis non insunt virtutes, & per consequens, vel ἐπισμῶν, vel ἀσκήσεων ἀκquiruntur. Quod si ita: utique tantò minus omnium virtutum conglomeratio & conglutinatio SUMMUM BONUM Practicum absque ἐπισμῶν & ἀσκήσεων ἀκquiri poterit. Quod, quid sit, quid non, ejusque affectiones sub disputationis incudem, adjuvante TRIN-UNO revocare conabimur.

Sit itaque cum BONO DEO

THESIS I.

THESES I.

Eximiâ eruditione clari fuerunt Viri, qui imbecillitatem & inconstantiam rerum humanarum considerantes, dari ultimum quendam finem summumque bonum, in quod omnia reliqua quasi collimarent, planè negarunt.

II. Nos verò antequam ad ipsam hujus rei tractationem, progrediamur, ut eò facilius omnis ambiguitas tollatur, dispiciemus, num inter Bonum Finemque detur quædam differentia?

III. Ubi æquivocatio tollenda prius, dicendumque, quæstionem hanc bifariam intelligi posse: vel *formaliter*, vel quoad *fundamenti reciprocationem*, ut statuunt Ven. Dn. Parens *Jac. Mart.*: Cent. 4. Disp. 5. quæst. 9. & *Conimbr.* Disp. 2. Eth. Art. 2. quæ. 1.

IV. *Posteriori hoc modo*, vel sumitur *actu*, ita, ut quicquid est actu bonum, sit actu finis, & è converso: vel *potestate*, ut omne bonum sit finis actu vel potentia.

V. Rursus vel accipi potest *comparatione creaturarum* duntaxat, vel etiam *comparatione DEI*.

VI. Bonum & finis per formalem rationem nequaquam idem esse possunt: quoad fundamenti reciprocationem, quocunq; modo sumantur, non sunt idem respectu DEI, si nimirum actiones Divinas, & quidem internas respicimus. Sin verò actiones externas: omninò idem esse dicere possumus: Tales enim sunt propter finem, quatenus Deus unum opus propter aliud efficit.

VII. Bonum actu & finis actu, non idem sunt *comparatione creaturarum*, quoad reciprocationem, sunt tamen aliquo modo idem, si secundum potestatem sumantur.

VIII. Ex dictis igitur patet, bonum & finem differre tantum ut latius & angustius: Bonum ut latius, Finis verò ut

angustius. Sed in Ethicis, ubi non tam nomina quam res ipsæ attenduntur, sapissimè pro uno eodemque & convertibilibus ponuntur.

IX. Redeundum verò tandem est ad propositum, undè paulò dilapsi eramus, & investigandum, an detur aliquis ultimus finis, summumq; bonum?

X. Natura certè nihil agit frustra, inquit Philosophi, quod falsum esset, nisi actiones quælibet ad certum aliquem finem determinarentur; omnia verò ad finem tendere, ex omnibus rerum generibus demonstrari potest.

XI. Dantur enim 1. *ὄντα*, entia specialiter sic dicta, quæ tantùm esse habent: Illa naturâ feruntur, & appetunt sui perfectionem, appetitu tantùm naturali.

XII. 2. *ζῶντα*, vivencia, quæ ad sui conservationem & perfectionem naturaliter moventur, appetitu vegetativo.

XIII. 3. *αἰσθητὰ*, sensibilia, quæ per sensitivam vim res appetunt vel rejiciunt.

XIV. 4. *νοητὰ*, intelligibilia, quæ propriissimè appetunt, appetitu perfectissimo scilicet, rationali.

XV. Sequitur ergò ex dictis, omnia bonum appetere, appetitu verò diversissimo: ideoq; appetitum quadruplicem esse, & dividi in appetitum ipsum generaliter sumptum, & appetitum cum *νοῦς ἐστὶν ἀεὶ ἀεὶ* conjunctum.

XVI. Priore appetitu tria priora genera rerum, bonum appetere dicuntur; posteriore, verò tantùm res ratione præditæ, ut sunt soli homines.

XVII. Si igiur certi dantur fines, in quos omnia feruntur, dabitur etiam ultimus quidam finis, in quo appetitus noster tandem acquiescat, ne detur progressus in infinitum: Confer Ven. Dn. Par. Jac. Mart. Cent. 4. Disp. 6. q. 8. & Disp. 3. de

de S. B. th. 2. q. 1. Rev. & Excell. B. Meisn. de S. B. pag. 72.
Donald. Syn. Eth. m. p. 16.

XVIII. Ille finis necesse est, ut sit optimus & perfectissimus, quemq; omnia appetant, ipse verò propter semetipsum & nullo modo propter aliud appetatur. *Arist.* l. 1. Nicom. c. 2. & comment: *Averr.* m. p. 181. *Jac. Mart.* cent. 4. Disp. 5. q. 8.

XIX. Absit tamen ut statuamus finem illum ideò esse bonum, quia appetitur, sed ideò ille appetitur, quia in se & suâ naturâ optimus est & perfectissimus, neutiquam verò appetitus ejus bonitati & perfectioni vel quicquam adijcere vel detrahare potest.

XX. His peractis ad divisionem Summi Boni progredimur. Est igitur S. Bonum aliud *Theoreticum*, aliud *Practicum*. *Theoreticum* circa res divinas contemplandas, *Practicum* verò circa operationes civiles versatur, & de hoc nostra tractatio instituitur. *Theoreticum* enim *Ethicis* limitibus directè non includitur.

XXI. Hujus S. Boni *Practici* variæ habentur apud Commentatores *Ethicos nota Essentiales*. Nam primò vocatur ἀκρότατον καὶ τελειότατον τῶν πρακτικῶν ἀγαθῶν *Arist.* l. 1. Nic. c. 8. quia aliud superius non datur, sed in illo appetitus noster terminatur, nisi enim esset tale, adhuc aliud perfectius, in quo appetitus noster acquiesceret, dari statueretur, quod absurdum.

XXII. *Secunda* affectio ab *Arist.* l. 1. *Eth. Nicom.* c. 3. his verbis exprimitur: τὸ ἀπλῶς τέλειον, ἃ καὶ αὐτὸ αἰρετὸν αἰεὶ καὶ μηδέποτε δι' ἄλλο: necesse enim est, dari quicquam, quod tantum propter se, reliqua verò propter illud appetantur.

XXIII. 3. Dicitur πρακτικὸν καὶ κτητὸν τῷ ἀνθρώπῳ: quamvis enim non nisi summo labore acquiratur, juxta illud: μοχθεῖν ἀνάγκη

ἀνάγκη τὰς θέλοντας εὐτυχεῖν, ejus tamen acquisitio homini non prorsus detrahi potest.

XXIV. 4. Οἰκείον: *Arist.* l. I. *Nicom:* c. 3. cum enim debeat esse singularis quædam prærogativa hominis, necesse est, ut ipsi soli conveniat; Si enim cum cæteris animalibus commune esset, certè ejus dignitas si non planè tolleretur, valdè tamen minueretur.

XXV. 5. Ἀυτάρκης: Hanc notam *Arist.* *Nicom:* c. 7. sic describit: τὸ τέλειον ἀγαθὸν αὐτάρκης εἶναι δοκεῖ: quia enim seipso contentum est, & nulla alia re indiget, ideoque est perfectum, perfectionem enim notat αὐτάρχεια.

XXVI. 6. Πολύκοιον: *Arist:* l. cit: c. 9. Si enim perfectissimum esse debet, sit quoddam latissimè patens necesse est. Bona enim quò communiora, eò meliora. Quòd v. ab omnibus acquiri possit, his verbis comprobatur *Arist.* l. cit. δυνατὸν γὰρ ὑπάρξαι πᾶσι, τοῖς μὴ πεπηρομένοις πρὸς ἀρετὴν, διάτινος μαθήσεως καὶ ὀπιμελείας: quod verò omnes non acquirant, vitium non est in beatitudine, sed in hominibus.

XXVII. 7. Κοινωνικὸν: *Arist.* l. cit. c. 5. Hæc siquidem est conditio omnis boni, ut aliis suam bonitatem communit: nam, quò quis virtuosior, eò plus aliis servire & benefacere studet.

XXVIII. 8. Θεῖον: *Arist.* l. cit. c. 9. imò ἐκ τῶν θειοτάτων εἶναι, inquit: quia enim perfectissimum quid esse debet, etiam causam perfectissimam habeat, necesse est; efficiens siquidem non debet esse inferior vel deterior effectu.

XXIX. 9. Τίμιον: l. I. *Nicom:* c. 12. Quo loco *Arist.* tria constituit bonorum genera, τίμια, ἐπαινέτα & εὐδέτερα: posteriora duo genera à S. Bono removet, & tantum τίμιον propter summam perfectionem ipsi tribuit: ubi tamen notandum est, honorem humanum duplicem esse, internum & externum.

num. *Externus*, in levitate fortunæ & hominum situs est. *Internus*, in firmitate Virtutis est, qui honor in Beato datur & ab applausu populi non dependet. Hunc nos innuimus, rejecto priore, ut qui affectio essentialis Summi Boni non est.

XXX. 10. Δύσμετάπλωτον καὶ ἀναΦαίρετον. 1. *Nicom*: c. 3. Quò major enim est inconstantia & fugacitas alicujus rei, eò majoris imperfectionis arguitur, & contrà: Si enim perfectissimum sit, necesse est ut sit constans & difficulter mobile: Homo equidem & ad felicitatem & miseriam suscipiendam aptus est: difficillimum tamen est, semel contractum habitum permutare vel deponere. De his omnibus, pluribus conferri potest *Arist*: locis cit: & Ven: Dn: Parens *Jac*: *Mart*: de S. B. disp: 5. th: 2.3.4. & seqq.

XXXI. 11. Non sit denique dormientis, otiosi & calamitosi: *Arist*: 1.1. *Nicom*. c. 3. Quia somnus omnium laudabilium functionum privatio est: nequaquam igitur somnolenti S. Boni capaces esse possunt, cum excitata ingenia requirant. Otium porrò impedimentum potius virtutum est, quàm adjumentum. Neque etiam calamitosi, si accuratius pensiteretur, quamvis aliàs bona fortunæ non sint de essentiâ S. Boni, sed majorem tantùm, (ut infrà quoq; monebimus) ei addant splendorem.

XXXII. His itaque præmissis, eò facilius patere poterit, quid sit S. Bonum. Cum verò variorum hominum tam variæ & diversæ de eo fuerint sententiæ, ut etiam supervacaneum sit, omnes eorum futiles opiniones depromere, tantùm potiores, *Arist*. 1.1. *Eth*: ad Eudem: c. 1. & 2. secuturi, accuratio-ri limæ subjiciemus, hominesque in quatuor genera dispe- scemus, nempè in ἀπολαυστικὸν, πολιτικὸν, χρηματιστικὸν & θεωρη- τικὸν: confer etiam *Avery*: in *Eth*: m. p. 352. edit, in 8.

B

XXXIII.

XXXIII. Quamplurimi enim, (inquit *Arist.* l. cit.) vitam agunt, & supra belluas deteriorem, voluptatem sequentes, S. Bonum esse putant, si nocturnis ac diurnis comestationibus & ingurgitationibus DEO suo ventri libare possunt: quod tamen nihil minus quam S. Bonum, sed potius S. Malum summamque perniciem esse, sequentibus manifestum reddemus.

XXXIV. Num quæso illud pro S. Bono reputemus, quod nos bestiis similes imò inferiores reddit? Voluptuosos vero bestiis deteriores esse, patet: quia bestia ductum naturæ sequentes, non ut tales, plus ac natura ipsarum flagitat, ingurgitant, sed tantum ad naturæ satietatem utuntur necessariis alimentis: quod hi negligentes, & ductum impuritatis suæ sequentes, imperfectam vel prorsus nullam felicitatem esse autumant, nisi tantum absument, quantum etiam ad totalem rationis suffocationem sufficere posset.

XXXV. Ejusmodi enim voluptuarii, ut omnes honestas actiones impediunt, ita hebetationibus, similibusque intemperantiis omnem rationis usum deprimunt, nec non, ut loquamur cum Rev. & Excell: *B. Meisnero*, proximum magis ledunt malo exemplo, quam eidem, quod tamen maximo opere decet S. Bono præditum, inserviant.

XXXVI. Voluptas porro humanam naturam potius destruit, quam perficit: nec non omnes bonas inclinationes potius corrumpit, quam excitat. Quot enim, quæso voluptatibus dediti propriæ vitæ sunt abbreviatores? Certè si rem altius pensitamus, plures continuis comestationibus, potationibus, similibusque illicitis voluptatibus, seipsos in optimo ætatis flore, vitâ privant, immaturæque mortis sibi ipsis authores existunt, quam naturali morte extinguuntur. Taceam plura indè emergentia incommoda; quot enim amplis-

plissimis suis patrimoniis per voluptates exhaustis, in extremam paupertatem, vitamque miserrimam sese præcipitant!

XXXVII. Ut jam omittam affectiones S. Boni, quarum maximus & ferè totalis defectus hîc occurrit; Voluptates enim non sunt bonum *δικεῖν*, non *δειον* non *τιμιον*, neque *δυσμετάπειστον* &c. Absit igitur, ut tam perfrictæ simus frontis, voluptatemq; pro S. Bono expetamus, quæ ne titulo quidem S. Boni digna est, quæq; imitantum subsellii homines delectantur: homo enim, qui à ventre vincitur, belluæ similis est, talisque voluptas indigna est homine ad majora nato, quia nihil aliud est, quàm cicuta Virtutis, esca serpentis, spuma & sperma Veneris, sentina & teda omnis turpitudinis, quæ corporis & vires & speciem interimit, valetudinem vehementer lædit, morbos parit innumeros, juventutis florem ante tempus devenustat, turpem senectutem accelerat, mentis & ingenii aciem heberat, & deniq; hominem quantus quantus est, cœno impuritatis immergit, ut nihil præter sordidum spurcum, humileque possit cogitare vel facere, sicut vivis coloribus eam ingeniosissimus *Cicero* depingit: Quid igitur esset absurdius, quàm Beatitudinẽ, quæ homines reddit optimos, in voluptate, quæ eos brutis reddit abjectiores, collocare velle? Conf. *Coll. Conimbr.* disp. 3. *Eth.* q. 2. art. 3. *Ven. Dn. Par. Jac. Mart.* de S. B. disp: 4. th. 4. q. 1. *Rev. & Excell. B. Meisn.* de S. B. q. 8. p. 90. & seqq. *Picol.* gr. 9. c. 19, 20, 21. m. p. 791. & seqq. *Donald.* in *Syn. Eth.* m. p. 23. & seqq.

XXXVIII. Pergimus ad genus hominum *Πολιτικόν*. Qui autem huic sunt addicti, vel in honore vel in virtutis habitu S. Boni essentiam quærunt. Honoribus dediti, quamvis non tam abjecti sint animi, à veritatis tamen viâ longè discedunt.

XXXIX. Honor enim non est honorati, sed potius honorantis, magisq; in hujus, quàm in illius potestate consistit,

B 2

facileq;

facileq; accidere potest, ut, mutato animo honorantis, & honor attributus simul mutari possit: Honoratus enim se habet ut patiens, in cuius potestate non est pati vel non pati, sed in agentis, juxta *Arist.* l. i. *Nicom.* c. 3. τὴν τιμὴν δοκεῖν ἐν τοῖς τιμωσὶ μάλλον εἶναι, ἢ ἐν τῷ τιμωμένῳ, quod tamen contra affectionem th. 24. notatam, vergit.

XL. Præterea Honor non appetitur propter se, sed propter virtutem, ejusdemq; testimonium, quo eò virtuosiores videamur; eapropter neq; S. Bonum esse poterit: confer affectionem th. 22. notatam.

XLI. Taceo, quod nimij honoris cupidi, se Deo & hominibus exosos reddant, juxta illud *Suidæ* m. p. 863. *non laudat DEUS eos, qui mensuras conculcant, quiq; ampliora suâ sorte appetunt, & sublimes speculas.* Ambitiosi quoq; facilius in quodvis peccatum irruunt, ipsaq; superbia præ omnibus aliis vitiis DEO est maximè abominabilis.

XLII. Id quod prolixè ostendi posset, si instituti nostri ratio ferret. Itaq; nostrum potius est, juxta Divi Apostoli Pauli monitum, humilitati studere.

XLIII. Requisitis tandem S. Boni destituitur honor, cum non sit bonum κοινωτικόν, non δυσμετάπληστον &c.

XLIV. Hæc cum ita se habeant, potest quis dubius reddi, num etiam honorum appetitio in viro bono concedenda & approbanda sit?

XLV. Cæterum virum bonum honores appetere posse, ac debere, non tanquam S. B. sed ceu præmium, ut fructus laborum suorum reporter, virtutesq; ejus eò melius alijs innotescant, indubium est. Si v. aliquis signum honoris curiosè expetere vellet, facilè in excessu peccare posset, cum appetendo ejusmodi honorem, verum & genuinum honorem negligeret. Signum præterea honoris non est beato δικείον, sed tum bonis tum malis exhiberi potest, imò hos sæpius vel

ob

ob dignitatem vel aliam ob causam honoramus & veneramur. Beatus verò mavult ob propriam virtutem esse, quàm ex opinione vulgi haberi bonus: propterea quoq; nil curat, quamvis non semper externo honore afficiatur, cum sciat opinionem vulgi ipsum non privare posse virtute, quæ semper honore dignissima est.

XLVI. Diximus supra, πολιτικῶν alios honorem, alios Virtutis Habitum pro S. Bono appetere: honorem ambientes vidimus: Jam ad alteram illorum speciem accessum facimus, ad illos scil: qui in Virtutis Habitu consistere S. Bonum sibi persuadent. Hi quamvis proximè ad rem ipsam accedant, veritatem tamen nondum assequuntur. Vid. *Arist.* l. 2. ad Eudem. c. 1. & *Averr.* in ejus comm. m. p. 357.

XLVII. Licet enim quidam è requisitis S. Boni argumententur, quod debeat esse perpetuum, constans & difficulter mobile bonum: actionem verò virtutis, quam nos S. Bonum perficere statuimus, tale quid esse nullo modo posse, inferant: distinguimus tamen inter *actionem* facillimè *transseuntem*, & *immanentem*.

XLVIII. Si *transseuntem* perpendimus, quæ facilè subla-
lis objectis, quibus ut medijs utitur, impediri potest, talem, inquam, actum S. Bonum absolvere nullo modo posse, asse-
veramus.

LIX. Sin verò *immanentem* actionem consideramus, quam firmam, perfectam & difficulter mutabilem benè operandi intentionem & meditationem esse dicimus, talem nec impediri neq; mutari facilè posse, asserimus. Propterea *Conim.* disp. 3. Eth. q. 3. art. 1. *felici sat esse, versari in actione, ut ratio præscribit, & vita hujus conditio & humana imbecillitas fert, statu-entibus, calculum nostrum adijcimus.*

L. Quod porrò inculcant, principium activum & finem sui actus habitum esse, adeoq; Virtutis habitum perfectio-rem esse ipso Virtutis exercitio: illis confestim eruditissi-

nam, *Casi in Spec. Mor. l. i. c. 5. p. 23. responsionem reponimus.*
Sic v. ille d. l. *Etsi virtus sola post funera vivat, tamen si illam in habitu non in actu, si in quiete non in motu, si deniq; in sinu, non in manu teneas, certe ut parum prodest aliis ad exemplum, ita sibi deest ad nomen beatitudinis aucupandum.*

LI. Siquidem S. Bonum perfectum quid, cui nihil addi possit, esse debet. Virtutis verò habitus tale quid non esse patet, quia ei ut actui primo, actus secundus superadditur, atq; sic potentiam quandam includit: ex virtute porro non summa jucunditas suboritur, sed potius ex ejusdem actione.

LII. Concludimus itaq; cum toto rectè sentientium Philosophorum choro: virtutem ad acquirendum S. bonum habere se ut medium; actionem verò ut consequens, illam, ut radicem & causam, hanc ut finem & fructum.

LIII. Progredientibus tractando, tertium *χρηματισμῶν & φιλοκέρδων* hominum genus sese offert, videl. sordidorum illorum Euclionum, qui omnes suas actiones & cogitationes, in id unicè dirigunt, quò divitias longè amplissimas sibi comparare possint, in quarum acquisitione summam suam felicitatem residere putant: Hi verò procul à Virtutis semitâ, multò magis verò à S. Boni legitimâ acquisitione discedunt.

LIV. Quamvis enim omnes homines instinctu quodam naturali divitias appetant, atq; desiderent, meritò tamen inter divitias legitimo modo acquisite, & immoderatam illarum appetitionem avaramq; possessionem distinguimus.

LV. Legitimo modo quilibet S. Bono studens divitias sibi comparare potest, utpote quæ faciant ad benè esse, & sunt adminicula ad felicitatem eò faciliùs consequendam, acquisite verò ornamenta, majoremq; liberalitati & Magnificentia splendorem addant: quapropter, non ad essentiam, sed ad meliorem ejus existentiam conferre, patet.

LVI. Im.

LVI. Immoderata verò divitiarum corrasio & titulo boni cujusdam, multò magis Summi, indigna est: cum eæ immenso labore acquisitæ, innumeris curis conserventur, avaros deniq; seipfos in illarum corrasione ita cõsumant, ut potius infinitas anxietates, animiq; perturbationes in illarum acquisitione & curiosâ possessione percipiant, quàm voluptatem.

LVII. Cur porrò illud titulo boni dignaremur, quod sæpè per fas & nefas acquiritur, ac præterea tanquam nostrum non esset, à nobis possidetur? Divitiæ siquidem, continuis curis avaros inquietantes, semper, ne à furibus vel alio adversæ fortunæ casu auferantur vel etiam à suis absumentur, extimescere faciunt, ut ob id *Plato* ejusmodi divitem, bonis suis benè non utentem, sed abutentem, rectè pauperem & egenum vocitet: appetitus tandem avari, nullis divitiarum cumulis satiari potest, sed potius, quò plures opes possidet, eò majores desiderat.

LVIII. Præterea sciens, tot & tam varia incommoda, & curiosâ divitiarum possessione emergentia, cum in pro patulo sit, ejusmodi divitem, & Deo & Homini bus exosum esse, dum nummis sibi concreditus adeò abutitur, ut illos in arcâ occlusos, ceu DEUM veneretur, nec sibi ipsi, nedum alijs iisdem proficit.

LIX. Absit igitur, ut illud S. Bonum statuamus, quod omnibus prædictis requisitis destituitur; non enim divitiæ bonum sunt ἀκρότατον καὶ τελειότατον, non δὲ αὐτὸ αἰρετὸν, non κεινώμιον, non τίμιον, non δυσμετάπλωτον &c. Necesse itaq; est, ut ad aliud quoddam investigandum nos accingamus.

LX. Proximum itaq; est, ut conditionem *θεωρητικῶν*, qui in communi quadam Ideâ S. Bonum quæritant, perpendamus. Illi homines amore veritatis flagrantes, totos sese tam rerum supernaturalium quàm naturalium contemplationi immer-

immergunt, inq; eâ summam delectationem quærentes, S. Bonum istam perficere, sibi imaginantur.

LXI. Verum enimverò, hic nodus perfacilè enodari potest, si modò inter Bonum Theoreticum & Practicum distinguatur.

LXII. Cum verò *Plato* sub communi suâ Ideâ, de quâ expressè loquitur *lib. 6. de Rep. fol. m. 477.* nihil aliud, præter DEI, qui omnis boni fons & autor, considerationem intelligat: non abnuimus, quin S. Bonum Theoreticum in tali contemplatione maximè consistat. *Arist. l. i. Eth. ad Eudem c. 3. & 5. & comm. Averr. m. p. 35. 2. & seqq.*

LXIII. Sin verò de subjectâ materia loquamur, & idea accipiatur, prout *Arist.* & omnes ferè Peripatetici sumunt, de communi quâdam & generali omnium bonorum formâ essentiali, extra Deum seorsim existente, à quâ omnia inferiora & particularia essentiam suam habeant, in cujusq; cognitione summa hominis felicitas consistat, talem, inquam, Ideam, non dari posse, cum *Arist. l. i. Nicom. 6.* asserimus.

LXIV. Quomodo enim illorum, inquit, quorum ὕπερον καὶ πρότερον, καὶ πρὸς ἑνὴν καὶ αὐτὴν εἶδος datur, una quædam communis forma sive Idea dabitur?

LXV. Adhæc bona non sunt in eadem categoriâ: Bonum enim est in Substantiâ, in Qualitate, in Quantitate, in Relatione, in Actione, in Passione, & sic consequenter de cæteris Categorijs: Bonum namque æquè latè patet, atq; ipsum ens, quod per omnia Prædicamenta est diffusum.

LXVI. Horum igitur communis quædam Idea non potest dari: Quæ enim diversis insunt Categorijs adeoq; toto genere differunt, eorum non est una communis Idea, de quâ ex æquo participent.

LXVII. Et si vel maximè Platonis sententia, prout paulò antè *th. 62.* exposita est, in se non improbaretur, illam tamen,
qui a

quia saltem S. bonum theoreticum in merà contemplatione subsistens concernit, à disciplinà morali prorsus removendam esse ducimus: cum hìc tale bonum, quod in continuo actù & exercitio virtutum consistat, inquiramus.

LXVIII. Semotis igitur remoris, in rem ipsam paulò altius, inquiremus, quidque S. Bonum reverà sit, & in quo tandem consistat, breviter expediemus.

LIX. Sic verò *Arist.* l. i. *Nicom.* c. 6. S. Bonum definit: *Ευδαιμονία, ἐστὶν ἐνέργεια ψυχῆς τῆς λογικῆς, κατ' ἀρετὴν τὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην ἐν βίῳ τελείῳ. Beatitudo est operatio anime rationalis, secundum virtutem optimam & perfectissimam, in vitâ perfectâ.*

LXX. Nota hìc *Ευδαιμονία* dici ὑπὸ τῆς *Ευδαιμονεῖν*. quod est felicem esse, rem benè gerere ductu q. boni genij vel animi. Aliàs S. bonum multas passim apud authores Ethicos sortitur appellationes, dicitur enim modò *ἀγαθὸν πρακτὸν bonum morale, seu activum, modò εὐζωία, benè vivendi ratio, modò τέλος τελειότατον, finis perfectissimus, quia in illo animus noster acquiescere debet.*

LXXI. Ut verò faciliùs omnis æquivocatio tollatur, sciendum nos hìc non in bonum Theologicum, quod in hâc vitâ tantum inchoatur per regenerationem, in alterâ verò tandem absolvitur, quodq; non in nostrâ potestate positum est inquirere.

LXXII. Nec in bonum speculativum, quod in speculando res tum divinas tum naturales occupatur, quodq; supra tanquam alienum à disciplinà Practicâ removimus: sed hìc inquiremus bonum practicum, quod actionibus acquiritur, fovetur conservatur & consummatur.

LXXIII. His præsuppositis, ad definitionis examinationem pergimus. Definitum est *εὐδαιμονία, Beatitudo, scil: ut diximus, praxi acquisita,*

LXXIV. *Genus* ejus est: ἐνέργεια τῆς ψυχῆς λογικῆς. Cum enim necessarium sit requisitum S. Boni, homini esse οἰκείον proprium & domesticum, sequitur, illud in tali facultate hominis situm esse quâ is præcipuè à reliquis animantibus differt: quia verò animam vegetativam & sensitivam cum animalibus rationalibus communem habet, per has perfici nullo modo potest. Vnde sequitur, animâ rationali, quâ tantum à brutis differt, quæq; solius hominis propria est, illud perfici.

LXXV. Num verò bonum illud practicum, in intellectu, an in voluntate perficiatur, qui de hac controversiâ uberiorem explicationem & decisionem desiderat, consulere potest *Piccol. gr. 9. c. 42. & Ven. Dn. Par. Jac. Mart. disp. 5. de S. B. th. 4. q. un.* Nos cum iisdem dicimus, omnes omninò facultates in S. Boni acquisitione, suo modo conspire. Cunctæ enim, (prout convenit) suo fruuntur scopo: Intellectus ducis officio fungitur: voluntas comes est: appetitus sensuum minister & famulus. Vide etiam *Rev. & Exell. B. Meisn. de S. B. c. 1. q. 13. p. 152.*

LXXVI. Duplicem porrò in hac definitione invenimus *differentiam: 1. κατ' ἀρετὴν τὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην, secundum virtutem optimam & perfectissimam.* Ubi semper acris disceptatio fuit, quoniam Arist. in hac suâ definitione singulari numero utitur, an intelligeret unam tantum virtutem in summo gradu existentem, ita, ut Beatus dici posset Fortissimus, vel Liberalis, quamvis alijs vitiis maximè esset pollutus? Alij porrò intelligi sic volunt Justitiam Universalem, quatenus reliquas virtutes omnes in sese complectitur.

LXXVII. Prius quod attinet, essentiæ S. Boni contrariatur: ejus n. adeptio & possessio non in unâ quâdam virtute, sed in toto omnium virtutum choro, prout hominibus convenire potest, consistit.

LXXVIII. Posterius v. facile approbare possumus, sine impede
Justitia (juxta Theognidis versum, ἐν δὲ δικαιοσύνη σὺν ἀλλήλοισιν πάντες
ἀρετή σι,) pro toto virtutum choro, in eo gradu, qui homi-
ni competere potest, sumatur.

LXXIX. Non tamen ambigimus, imbecillitatem na-
turae humanae agnoscentes, non tantam omnium virtutum
eminentiam in uno homine, quanta quidem optanda esset,
dari posse, sed unam in hoc magis, in alio aliam elucere, atque
sic a potiore, h. e. optimâ & perfectissimâ denominatio-
nem fieri, ac propterea beatitudinem magis consistere in e-
minentioribus & perfectioribus virtutibus, quas quis habet,
quàm in alijs, quas minus excellentes, & non aequè perfectas
habet: interim beatus reliquis virtutibus non planè destitu-
tus, varijsq; vitijs pollutus esse debet: talis enim partem S.
Boni, sed non totum habere dicitur.

LXXX. 2. Ἐν βίῳ τελείῳ. in vitâ perfectâ: ubi præ omnibu
notandum, dupliciter perfectionem vitæ hîc sumi posse, ve
quoad *etatem*, vel quoad *durationem*. Vide *Arist.* 1. 1. Magn.
Mor. c. 4.

LXXXI. Perfectionem ætatis intelligimus, quod beatus
dicatur, qui ad annos discretionis pervenerit, neque sit puer, ut
quos *Arist.* non modò à S. Boni acquisitione, sed & tanquam
minus idoneos Ethices auditores, ab eadem excludit. 1. *Ni-
com.* 10. nondum enim sunt obfirmati judicij, inq; rebus per-
agendis minus constantes, quod tamen in S. Boni acquisi-
tione necessariò requiritur.

LXXXII. Vndè quidam S. B. duplex faciunt: *Rei*, & *Spei*: *Rei*,
quod ipso actu adsit vel acquiri possit; id quod pueris ob ra-
tiones datas planè detrahitur; & *Spei*, quod detur in pueris, ut
de quibus sperandum, quod aliquando ad illud acquiren-
dum idonei sint futuri. Verùm, quid de hâc distinctione
censendum, consulatur Ven. Dn. Par. *Jac. Mart.* in *Eth.* p. 28.

LXXXIII. Ex dictis sequitur, S. Bonum, humanæ Naturæ
conveniens, maximoperè in hâc vitâ acquiri posse: Falsumq;
esse sententiam Solonis, qui, ante mortem neminem Bea-
tum dici posse, asserebat.

LXXXIV. Contingit equidem quàm sapiissimè in vitâ
humanâ, ut quis per tempus benè longum beatus fuerit, in se-
nectute verò per continuatum vitiorum studium felicitatem
suam iterum amittat: tunc temporis, etsi non possit actu di-
ci felix, quod tamen antea S. Bono præditus fuerit, negari
non potest. *Arist. l. I. Nicom. c. 10. & Aberr. comm. m. p. 191.*

LXXXV. Verum enim verò, hic quæstio non est, an S. B.
semper tam constans sit, ut & ad extremum usq; halitum
constans & immutatum perdurare possit: id, quod semper
contingat, præced. thesi negavimus: sed hoc quæritur, an S.
Bonum Practicum in hâc vita sibi quisquâ comparare possit,
ita, ut aliquando reverà S. Bono præditus dici possit; id quod
allata Solonis sententia negat.

LXXXVI. Nos verò affirmativam tenentes, i. dicimus,
quod de virtuoso, dum vivit, absoluta S. Boni causa, quæ est
operatio virtutis, dici possit: Vnde sequitur, quod virtuosus
verè ante obitum, sit beatus. Posita n. causa in actu, poni
etiam debet effectus. Et quamvis beatus, variis fortunæ
casibus æque obnoxius sit ac alij homines. Attamen in qua-
vis sive prospera sive adversa fortuna est *τετράγωνος*, h. e, firmus
& constans, qui nequaquâ se à proposito benè beatq; vivendi,
avelli patitur, sed sèper sibi similis fortunæ ludibria spernit.

LXXXVII. Distinguimus, inter S. B. transcendente &
humanum. *Transcendente* est bonum absolutum & simpli-
cissimum, quod in hac vita per transennam q. tantum con-
templari licet, in altera v. vita consummatè cognoscetur.

LXXXVIII. *Humanum* & quidem Practicum est, quod
maximè ab homine crebro virtutis exercitio acquiri potest;
crebro

crebro inquam, nam ut sic una hirundo non facit ver, ita nec una virtuosa actio virtuosum, & S. B. præditum efficit, sed frequens & continuatum virtuosum exercitium, ne in operando fatigetur.

LXXXIX. Præterea S. Bon. Practicum hominibus vivis competere, vel inde patet, quod post mortem nemo moraliter felix dici possit, cum in perpetua, ut diximus, operatione felicitas moralis consistat: omnes verò actiones morte finiri, & cessare manifestum sit.

XC. Potest deniq; de virtuoso defuncto dici, quod S. B. præditus fuerit, sed nullo modo quod jam actu sit: quia posteriorum bonitas vel malitia ad ipsum defunctum non refertur. Manet igitur, hominem S. Bonum. consequi posse, sed, ut utar verbis Rev. B. Meisn., partiale, non totale, inchoatum, non consummatum.

XCI. His è perspectis, ad S. Boni causarum efficientium contemplationem acceleramus: ubi sese tres offerunt opiniones, quarum una felicitatem adscribit Deo altera, homini, tertia fortunæ.

XCII. Ut autem rem hanc breviter decidamus, distinguimus inter *causam Universalem seu remotam & particularem sive proximam.*

XCIII. S. Bonum ut perfectissimum quoddam, non potest à causâ imperfectiore originem ducere, ideoq; merito *causam efficientem S. Boni primam & universalem seu remotam, Deum esse statuim⁹: Hic enim fons & dator est omnium minimorum bonorum. Multo magis igitur summi boni. Hinc Aristoteles l. i. Eth. c. 10. ait. Si quid à DEO hominibus detur, maxime consentaneum est felicitatem dari, eò quod omnium est optima.*

XCIV. Tenendum autem est, *bona Dei esse duplicia, quædam immediata & absoluta sine medijs; qualis est creatio*

ex nihilo & alia dona S. Sancti, quæ Aristot. ἐὶ lumine naturæ
nequaquam cognoscere potuit: quædam *Mediata* & respecti-
va ad media: qualia bona sunt virtutes, beatitudo &c. quæ
non, nisi maximis laboribus & crebris exercitationibus à
DEO nobis conceduntur: non enim otiosis sed negotiosis
dantur, juxta illud Epicharmi: τῶν πόνων γὰρ πωλεῖσιν ἡμῖν πάντα
τα ἡγαθὰ οἱ θεοί.

XCIV. Cum igitur ab hominibus acquiri possit S: bonum,
certè ejus *causa proxima efficiens* homo erit: quæ enim tem-
pore præelectione & industriâ humanâ acquiruntur, eorum
causa efficiens, acquirente propior dari nequit. Jam verò
ex præcedentibus manifestū est, S. B. ἐν χρόνῳ τελείῳ humanâ
industriâ acquiri, ejus igitur causa proxima homo erit.

XCVI. Fortunam quod attinet, cum sit fallax, dubia & in-
constans: S. Bonum verò δυσμετέπιπτον esse debeat, quis qua-
so ejus lubricis ambagibus, instabilibus cursibus & reciprocis
vicissitudinibus felicitatem adscriberet?

XCVII. Adde, quod ineptum foret, perfectissimum effe-
ctum qualis S. Bonum, dependere à causâ per accidens & im-
perfectissimâ, qualis fortuna est.

XCVIII. Quid porrò opus foret, de comparandâ beatitu-
dine leges & præcepta tradere, si illa à fortunâ flueret. Inuti-
lis certè & vanus labor esset istud præcipere, quod in nostrâ
potestate situm non est; sed à cœco & iniquo fortunæ ductu
provenit. Ut taceam, fortunam nihil commune habere
cum moralibus actionibus & virtutibus, quarum tamen
effectum S. Bonum esse, ex præcedentibus manifestum est.

XCIX. Expositâ igitur essentiâ S. Boni, ejus quoque ac-
cidentia, paucis considerabimus. Hæc a, sunt vel *immediati*
ei S. B. effectus, vel *bona concomitantia*.

C. *Immediati* ejus effectus sunt nempe duo, *Conscientia*
& voluptas honesta, quæ ex honestis actionibus semper & im-
mediate oriuntur.

CI. *Bona S. Bonum concomitantia, sunt vel interna vel externa: Interna sunt Libertas, Sanitas, & Nobilitas. Ubi obiter notandum, nos hic non innuere talem Nobilitatem, ut quis possit*

— — — — *pietos ostendere valens*

Majorum, & stantes in curribus Æmilianos,
ut loquamur cum *Juven. Sat. 8.* & ipse nihilominus quibusvis vitijs sit pollutus. *Nobilitas enim vel bonitas cognatorum non valet, nisi nos ipsi fuerimus boni,* inquit *Chrysof. homil. 5. in Matth. sic & Excellens quidam Poëta de ejusmodi Nobilitate cecinit:*

*Sint tibi Gallorum, Rex & Regina Parentes,
Et maneat virtus pectore nulla tuo:
Non pluris faciam te ac tibi rustica mater
Si sit, & ignotus rusticus ipse Pater.*

Opinione siquidem illi tantum sunt nobiles: sed ille revera nobilis dicitur, qui præ aliis virtute pollet, quamvis & Parentes ipsius & rusticis fuerint ignobiliores: Qui vero, præter, quod longam seriem virtuosorum antecessorum enumerare potest, virtutibus etiam præ aliis est insignibus ornatus, duplici honore & cujusvis veneratione dignus est, tum, quia propria virtute se commendat, tum etiam, quia ejus tota familia est commendatissima. Vide *Ven. Dn. Par. Jac. Mart. de S. Bono disp. 12. th. 1. q. 2. 3. 4. & Eth. p. 46. & seqq. & Polit. l. 2. p. 327.*

CII. *Externa sunt, Divitia, Honor, Gloria, Laus, Bona Fama & Amici:* de quibus notandum, hæc omnia non facere ad constitutionem & essentiam S. Boni, sed tantum ad ejusdem bene esse, seu ad existentiam & majorem splendorem.

CIII. Coronidis loco, num detur S. Boni ulterior finis in rebus civilibus, quaeritur? Ad quod, si Ethicè respondere velimus, nullum dari dicimus, ne, ut supra monuimus, in rebus Naturalibus detur progressus in infinitum, itaq; necesse est, ut ille sit supremus & ultimus humanarum actionum finis, ultra quem progredi non licet, & in isto appetitus noster acquiescere cogitur. Si vero Theologicè ut Christiani loqui velimus, utiq; datur adhuc alius superior finis, nempe gloria DEI: cum omnes nostræ actiones unice ad solius DEI gloriam, tanquam ad ultimum operationum nostrarum scopum collimare & dirigi debeant.

SOLI DEO GLORIA.

IN HONOREM
Virtute Ingenioq;
Commendatissimi ac Ornatissimi
DN. JOHAN-FRIDERICI MARTINI
De
SUMMO HOMINIS POLI-
TICI BONO
Disputantis.

Est aliquid Claro patre nasci, Fama celebris
Cujus pertransit Solis utramque domum!
Ter-felix vivis, favet hæc si gratia diva,
Affert quæ secum commoda plura Tibi.
Sed nisi Tu patris vestigia presseris ipse,
Struma domus patriæ diceris ex merito.
Omnibus exosus, fruges consumere habéris
Natus, nil prodest lausq; decusq; patris.
Hæc quoniam expendis, Mi JAN-FRIDRICE, parentis
Spes & Cura Tui; spes patriæque domus!
Publica dum Sophies conscendis pulpita primùm,
Dis-q; putas SUMMUM quid sit in orbe BONUM.
Gratulor egregios ausus, vestigia patris
Ritè legas hortor, perpetuumque legas.
Gaudeat ut de te nomen venerabile patris
Grateturque lubens ausibus ingenuis.
Præmia sic tandem tibi conferet aurea Cleio,
Teque suum pullum perget amare Sais.
In pede felici! conatibus adsit Jhova!
Largiter affundat cælitus omne BONUM!

*Ita animitus vovet
suo carissimo hæctenus
discipulo Wittebergæ
propediem abiturus*

M. Johannes Baldovius Byrutho
Francus S.S.Th. Stud.

FINIS.

05 A 2356

ULB Halle
003 784 150

3







DISSERTATIO ETHICA
De
SUMMO BONO,
Quam
Adjuvante omnis Boni Datore

In Illustri ad Albim Athenaeo

SUB
PRAESIDIO


Viri Clarissimi atq. Excellentissimi

WILHELMI NIGRINI
Philosophiae Practicae in Acad. VVitteb. Pro-
fess. Publ. celebratissimi, Praeceptoris ac Promotoris
sui aetatem colendi.

*placide disquisitioni toti sobrie Philosophantium
choro subjicit*

JOHANNES FRIDERICUS MARTINI
Witteberg. Saxo.

*Ad diem XIX. Februar.
In Auditorio Collegij Veteris
horis a 7. matutinis.*



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI,
ANNO MDC. XXXV.

